





8  
1677, 14 37  
*Dissputatio Juridica Ordinaria,*

DE

# VITIO REI LITIGIOSÆ,

QUAM

*Divino aspirante Numine,*

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII GISBERTI

GLÖCKNER,

U. J. D. INST. IMPERIAL. PROF. ORD.

ACAD. PRO-CANCELLARII, p.t. FACULT.

DECANI,

PRÆCEPTORIS ET AVUNCULI SUI

ÆTERNUM COLENDI

Publicæ Disquisitioni submittit

FRIDERICUS MEZLER, Heidelbergæ-  
Palatinus.

*Ad Diem 5. Decembris: M DC LXXVII.*

H. L. Q. S.



HEIDELBERGÆ,

*Literis SAMUELIS AMMONII ACAD. Typ.*

V I R O  
*Nobilissimo, ac Consultissimo*  
DN. HIERONYMO  
GLÖCKNER,  
U. J. DOCTORI, SUMMI  
DICASTERII ELECTORALIS PALATINI  
CONSILIARIO, ET CIVITATIS MANHEIMENSIS  
PRÆTORI MERITISSIMO, AVUNCULO SUO  
PERPETUO OBSERVANTIÆ CULTU  
SUSPICIENDO.

*Primitias hasce studii sui  
Juridici*

D. D. D.

Resp.





Q. D. T. O. M. B. V.

THESIS I.

**L**itigiosi Etymon à Lite fluit, quam Isidorus c. 10. X. de Verb. sign. à limite, ut Jurgium quasi juris garrum, à jure, & garriendo, suo more, deducit, quem propterea notat *Alciatus tract. de 5. ped. prescript. n. 5.* Et *Gödd. ad l. 36. n. 4. ff. d. V. S.* illam Isidori Etymologiam à vero nonnihil aberrare, nec illo Virgiliano, *Limes erat positus, litem ut discerneret agris*, confirmari asserit. Aliam subjungens, ac si *lis* dictum quasi *Licet*, mediâ literâ in T. (aut potius in S.) mutatâ, quoniam omnis disceptatio se habet ad licitum, & illicitum, tanquam effectus ad causam. Verùm ita nodus quæritur in scirpo. Hinc rectiùs dicitur, quod vocabulum *litis* primitivum sit, exprimens forsan sibilos, contentionem, aut strepitum disceptantium.


II.

*Litis* autem Appellatio generaliter vel ipsam denotat disceptationem forensam, vel jus Litigantium, vel rem, quam petimus. Secundum primum significatum, dicimus *litem* præparare. *l. 7. ff. de inoff. test.* movere, inchoare. *l. 2. C. de jurej. pp. cal. dand.* pendere. *clem. 2. ut lit. pend. nil. innov.* contestari. *l. un. C. de Lit. contest.* deserere, item in *judicium* deducere

ducere. *l. 31. §. 2. ff. de neg. gest. l. 2. C. de hered. pet. Finire. l. 13. pr ff. judic. solv. l. 16. C. de transact. In medio significatu, Lis perire dicitur. l. 1. §. 3. ff. de calum. & perdi. l. 2. §. fin. de cond. ob turp. caus. Secundum ultimam Litis acceptionem, litem dicimus æstimari. l. 15. §. 1. ff. de judic. l. fin. ff. de condict. Tritic. inficiando crescere. §. fin. J. de oblig. qua quasi ex contr. Non tamen errabit quispiam, si dixerit litem, etiam quandoquæ ante ejus contestationem, esse, Quamvis strictiori significatu ad litem contestatam, sive actum illum qui à litis contestatione incipit, pertineat, vid. l. 15. princ. ff. de hered. per. c. 30. X. de. V. S.*

## III.

Est ergò litigiosum nil aliud, quàm illud ipsum, quod est in lite, seu Forensi disceptatione, inter eos, ad quos lis ea pertinet. Hinc non statim omne, quod in lite est, pro litigioso habendum, si enim inter primum & secundum lis sit contestata, & Ego à Tertio quid emero, qui nullam patiebatur controversiam, mihi subveniendum erit, nec lis illa meæ possessioni, aut liberæ alienandi potestati ullum afferet præjudicium. *l. 1. §. 1. ff. de litig. ibique Bart. personale censetur vitium litigiosi. P. reg. de jure Fisci. lib. 4. t. 6. n. 25.* At instabis (1) Si res litigiosa reali non afficeretur vitio, procul dubio esset in commercio, & pignori dari posset, quod tamen improbat *l. 1. §. 2. ff. qua res pign. vel hypoth.* nec (2) denegaretur aliàs Dominii acquisitio Emptori, ignorantem rem litigiosam, Imò (3) in hoc saltem vitium exstingueretur, & novo possessori haud noceret. Verum & ad (1.) licet res litigiosa *in d. l. 1. §. 2.* (quæ propriè de re rebus mobilibus, secundum mentem Scævola erit intelligenda) comparetur cum rebus extra commercium existentibus, non tamen hæc comparatio aliquam idenditatem, sed saltem similitudinem inducit. nec sequi-



sequitur, prohibita est alienatio alicujus rei, Ergo vitio litigiosi laborat, aut est planè extra commercium, sic nec res pupilli, nec prædium dotale, essent in commercio. Et jure constat, quod Res quædam ob earum qualitatem, planè omnium, quædam tantùm certarum personarum, propter earum Conditionem, commercio sint exemptæ, quibus Litigiosa rectè annumerari poterunt. Et ita ad (2) R. quod qualitas alienantis impediatur translationem, *arg. l. 2. §. 15. ff. pro. emt.* Ac quoniam, quoad (3) vitium primæ alienationis, in secundâ non emendatur, ideoque Eâ non plus transferri potest, quàm in primâ fuit, propter vitium personale, quod successoribus quandoque nocet. *Auth. mala fidei. C. de præscript. long. temp. c. 18. de restit. spoliat.*

#### IV.

Duo litigiosorum genera, unum Rerum, alterum Actionum, facit *Franzk. lib. 1. var. resol. II. n. 1. & n. 3.* Res litigiosa, de qua hic agitur, est, de cujus Dominio, movetur quæstio, inter possessorem & petitem, judiciariâ conventionem, vel precibus Principi oblatis, aut judici insinuatis, & per eum futuro Reo cognitis. *Auth. litigiosa res. C. de litig. nec refert, an sit mobilis, vel immobilis, aut se movens. l. 3. C. d. t. Nov. 112. c. 1.* Et quamvis quidam existiment, mentem Imp. Justiniani haud fuisse, *in d. Nov.* definire res litigiosas, sed tantùm ostendere, quomodo vitium litigiosi contrahatur, Contrarium tamen ex præfatione, & *Cap. 1. d. nov.* satis superque apparet.

#### V.

Duo ergò requiruntur ad hoc, ut res litigiosa efficiatur, (1.) ut lis ad minimum per Citationem validam, sive judicis ordinarii, sive delegati sit inchoata, & quidem vel cum Citationem

tione ipse libellus Reo transmissus, vel causa saltem Controversiæ ipsi inserta fuerit, *auth. litigiosa. C. de litig. Sichard. ad l. ult. C. d. t. n. 2. & 3. Geil. 1. Obs. §. 1. n. 4.* quod præprimis habet locum in actionibus realibus, *d. auth. quæ cum nullam de actionibus personalibus, ( in quibus adhuc litis Contestatio requiritur; ) mentionem faciat, videtur, ad Reales tantum restringenda, per l. 2. ibique gloss. & DD. C. d. t. Dissentit. Pacius in Isag. h. n. 1. in fin. (2.)* ut lis sit de Dominio, non alio jure Reali; videlicet pignoris, servitutis, ubi quidem ipsum jus in judicium deductum litigiosum efficitur, ipsa verò res, cui illud adhæret, non item, unde liberè alienatur. *Nov. 112. c. 1. l. 1. C. d. t. l. 2. C. de distract. pig. Mev. part. 5. decis. 326. Carpz. Jurisp. For. part. 1. Const. 32. def. 22. n. 3. Item lib. 4. tit. 1. Resp. 10. n. 20.*

## VI.

Hinc non facit rem litigiosam sola Denuntiatio, quæ fit alienationis impediendæ causâ. *l. 1. pr. ff. l. 1. C. de litig. ibique Brunnem.* maximè si frivola, aut extrajudicialis fuerit, sive de re singulari, judicio petendâ, loquamur, sive de universalis. Licet quoad judicia universalis, *ex l. 20. §. 11. ff. de hered. petit.* ubi quamvis denunciationem possessorem in malâ fide constitui posse, dicitur, dubium moveri possit; verum, quum nec ibi, nec alibi statuatur, quod sola mala fides ad vitium litigiosi, & ad prohibitionem alienationis, sufficiat, ideoque Regulæ priori potius inhærendum erit. Nec obstat *l. 5. pr. ff. d. t.* quoniam ibi non agitur de juris, sed Magistratus prohibitionem, eâque non ante controversiam, sed post petitionem, demum impetrandâ *l. fin. §. 2. ff. de doti mali except.*

## VII, Quod



VII.

Quod si tamen debitor contra venditionem pignoris à Creditore factam protestatus fuerit, simulque solutionem debiti solenniter obtulerit, valdè iniquum foret, si Creditor, cui fortè facultas distrahendi, sub Conditione, si pecunia non solveretur, fuerit concessa, statim ad pignoris distractionem procederet. *l. fin. C. debit. vendit. pign. imped. l. fin. C. si antiqu. cred. pign.*

VIII.

Rem litigiosam vendi haud posse, constat, *t. t. ff. & Cod. de litigios. d. nov. 112.* Sic nec oppignerari. *l. 1. §. 2. ff. qua res pign. nec donari. l. 2. 4. pr. C. de litigios. sacris dedicari, l. ult. ff. d. t. neque alio quocunque modo transferri potest. dd. ll. ibique DD. comm.*

IX.

An verò in dotem, vel donationem propter Nuptias, dari possit, quæstionis est; sed sententia Negativa verior, quoniam omnis rei Litigiosæ alienatio est prohibita. *d. l. 2. Constitutio autem dotis, vel donationis propter nuptias est alienatio. l. 22. C. de admin. tut. l. 4. l. 8. ff. de prædiis minor. meritò igitur regulæ d. l. 2. inhærendum, donec de exceptione doceat. Nec obstant verba finalia l. ult. C. de litigios. quum ibi poena tantum remittatur, rem litigiosam alienantibus aliàs infligenda, non verò ipsa alienatio approbetur. Quibus accedit, quod d. l. ult. sit correctoria, & ultra casus propositos non sit extendenda, sed strictissimè intelligenda. Tabor, in addit. Colleg. Argent. tit. de litig. n. 6.*

X.

Si sciens scienti alienaverit, uterque mulctatur, Emptor  
rem

rem restituit, pretiumque, Fisco, non venditori, qui alterum tantum Fisco inferre jubetur, applicandum, amittit, *l. 2. l. 4. princ. C. de litig.* Si sciens ignorantia alienaverit, tunc irrita rei alienatione facta, pretium, cum alia tertia parte sciens ignorantia tradere cogitur, *d. l. 4. §. 1. C.* Quod si in potentiorum adversarium, vel Fiscum, res sit translata, vel in Sacrum dedicata, dupli poena, Innocenti, in solatium factae alienationis in potentiorum tradenda, constituta est. *l. 3. ff. d. t.* Quod si titulo lucrativo sciens acceperit rem litigiosam, aestimationem Fisco solvet. *d. l. fin.* Quae poenae pecuniariae licet secundum Christin. vol. 4. decis. 175. Gudelin. 3. de jur. nov. c. ult. in fin. Grænweg in tit. C. d. litig. Richter. ad auth. litigiosa Res. C. d. t. n. ult. moribus, ac usu Forensi quorundam locorum non observentur, attamen Jure nostro statutorio Electorali Palatino, part. 2. tit. 7. §. ult. aliud videtur constitutum, ubi Serenissimus Legislator ita ait, *wan auch ein Gut / dessen Eigenthum im Recht strittig / wissentlich gekaufft würde / soll der Verkäufer das verkauffte Guth wieder im vorigen Stand erstatten / und so viel / als der Kauffschilling sein wird / zur Straff verfallen sein. Und gleiche Straff soll auch der Käufer erlegen.* Res ergo redit in eum statum, in quo fuit ante alienationem *l. 2. C. d. t.* ac iis, qui rite controversiam coram judice moverant, Exceptione litigiosa subvenitur. *t. t. ff. & C. d. t.*

COROLLARIA.

- I. Non solum ob adulterium, verum etiam ob alias justas & legibus approbatas causas, licita sunt divortia.
- II. Usurae communis utilitatis gratia, recte permittuntur.
- III. Jure optimo Principes, Terrarumque dominos jus venandi exclusis subditis, ad se traxisse, contendo.
- IV. Consuetudine, usuque longo, tollitur lex scripta, & abrogatur. *l. 32. ff. de leg.*

FINIS.


ULB Halle 3  
003 487 296



50

V517





8

1677,4 37

*Dissputatio Juridica Ordinaria,*

DE

# VITIO REI LITIGIOSÆ,

QUAM

*Divino aspirante Numine,*

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII GISBERTI

GLÖCKNER,

U. J. D. INST. IMPERIAL. PROF. ORD.

ACAD. PRO-CANCELLARII, p.t. FACULT.

DECANI,

PRÆCEPTORIS ET AVUNCULI SUI

ÆTERNUM COLENDI

Publicæ Disquisitioni submittit

FRIDERICUS MEZLER, Heidelbergæ-  
Palatinus.


*Ad Diem 5. Decembris: M DC LXXVII.*

H. L. Q. S.



HEIDELBERGÆ,

*Literis SAMUELIS AMMONII ACAD. Typ.*



8.  
s:  
s ver  
Ide  
Rege  
e  
uoq  
pi s  
giu  
ull  
um n  
in n  
exp  
OR  
H  
iis  
vñ  
d L

F

